

Johann Georg Dorsche


**Joh. Georgi Dorschei S. S. Theol: D. & P. P. quondam in Acad: Argentorat: postea Rostoch: ... Historica Relatio Et Informatio De Conciliis Et Synodis ex invitatione Antiquit. Studios: Ad Isagogen Synodologicam Rostochii A. 1652. proponendam desumpta, & verbotenus (praeter clausulam) hunc in finem, ut illi, qui possunt, Synodum Theol: Evang. Generalem ... in Germania promovere velint, cum Appendice recusa**

Gustrovijij: Literis Scheppelianis, 1667


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730096076>

Druck Freier  Zugang






Ff 3732.<sup>2.</sup>







JOH. GEORGI DORSCHER

S. S. Theol: D. & P. P. quondam  
in Acad: Argentorat:  
postea Rostoch: eminentiss. &c. p. m.  
brevis ac utilis

HISTORICA RELATIO ET  
INFORMATIO

DE

CONCILIIS  
ET SYNODIS

ex invitatione

ANTIQUIT. STUDIO:

AD ISAGOGEN SYNODO-  
LOGICAM

Rostochij Ao. 1652. proponendam  
desumpta, & verbotenus (præter clausulam)  
hunc in finem, ut illi, qui possunt,  
SYNODUM THEOL: EVANG.  
GENERALEM

In Dei gloriam & Ecclesiæ emolumentum,  
in Germania promovere velint,  
cum Appendice recusa.

Operâ

JOACHIMI SCHRODERI.

GUSTROVI, Literis. SCHEIPPelianis.

Anno 1667.

*Sf-37392.*







**S**tudium cognoscendi *anti-*  
*quitatem Ecclesiasticam*, &  
qvantis successibus Christi-  
anismus creverit in orbe terrarum  
aut decreverit; qvomodo Ecclesiæ  
aut institutæ, aut servatæ, aut desti-  
tutæ restitutæve fuerint; qvis Docto-  
rum & Episcoporum ordo, labor, pro-  
gressus, qvid ex laboribus eorum in  
litteras redactis reliqvum, qvod ge-  
nuinum; qvæ hæresium aut schisma-  
rum Origo, doctrina, confutatio;  
qvæ Conciliorum sive provincialium,  
sive nationalium, sive œcumenico-  
rum celebritas, felicitas, autoritas  
&c. per vestigare, Theologiæ nostræ  
magnum afferre emolumentum, ne-  
mo est, qvi dubitat. *In eo verò Syno-*  
*dologiam in primis excellere, facile intel-*  
*ligitur.* Habet eqvidem & Patrologia  
suum insignem usum, ut genuina e-  
orum scripta à supposititiis discernan-  
tur, & informentur tyrones, qvomo-  
do etiam in genuinis versari debeant.

(2)

Sed



Sed ita tantum singulares personæ  
in laboribus & dogmatibus suis æsti-  
mantur. In Synodologia provincia-  
lium Theologorū judicia de sacris re-  
bus, & nationum consensus, aut eti-  
am universi orbis, quæ Christianismo  
illustratus est, contestatio refertur.  
Unde olim Acta conciliorum in the-  
sauris Ecclesiæ asservata fuerunt.  
Photius etiam Patriarcha Constan-  
tinopolitanus synodicon edidit. *Hinc  
& superiori seculo Principes & Proceres  
imperii Rom. quos Deus excitavit, ut Ec-  
clesia Papismo pressa patrocinarentur,*  
eamq; fortissimis exporrectis mani-  
bus in libertatem constituerent, post-  
quam id præstitissent feliciter, & er-  
rores abusq; ex Ecclesiis sibi com-  
missis, spretoq; Antichristo jam Chri-  
sto militantibus, eliminassent, cum  
monerentur, etiam *antiquitatem Ec-  
clesiasticam* perlustrandam, & in ea te-  
stimonia veritatis, iñitia corruptela-  
rum, fundamenta dominatus hierar-  
chici, & alia ad prudentiam Ecclesi-  
asticam mirè conducentia observan-  
da, *conjunctis consiliis, auspiciis, subsidi-  
is, sum-*

is, sumtibus instituerunt, ut convocaren-  
tur Vini docti & in gravissimo negotio o-  
ptimè versati, qui per annorum Centurias  
progressi ita Ecclesia faciem representa-  
rent, ut suo singula seculo assererent. In  
sedecim capita illi singulas Centuri-  
as partiti sunt, inter quæ nonum per  
singulas tredecim (hucusq; enim tan-  
tum opus perductum fuit elaboratissi-  
mum) locum occupat Synodologia  
Nam primum caput argumentum cen-  
turix exhibet, quo constat, quorum  
annorum historia proposita sit. *Alte-  
rum* sedem & propagationem Ecclesi-  
æ; *Tertium* tranquillitatem aut perse-  
cutionem. *Quartum* doctrinam; *Quin-  
tum* hæreses & errores manifestos; *Sex-  
tum* ritus & ceremonias: *Septimum*  
politiam & gubernationem Ecclesiæ:  
*Octavum* schismata & certamina levi-  
ora: *Nonum* Concilia: *Decimum* Epi-  
scopos & Doctores; *Undecimum* hære-  
ticos: *Duodecimum* Martyres: *Deci-  
mum tertium* miracula & prodigia;  
*Decimum quartum* res externas seu po-  
liticas Judæorum: *Decimum quintum*  
religiones extraneas, Judaismum,



Gentilismum &c. *Decimum sextum* statu-  
tum & mutationes politicas Imperi-  
orum. Italia conspicata, quantum  
lucis antiquitati Ecclesiasticæ attu-  
lerit Germanorum Principum pietas,  
inter quos in hoc negotio plurima  
addiderunt in primis Mecklenburgi-  
ci Duces, (cum post Magdæburgum  
officinam elaborando operi Wisma-  
riam dederunt) postquam *Venetis* per  
*Dominicum Nicolinum V. Tomos* Con-  
ciliorum confarcinasset, *Rome* Philip-  
pum Nerium Florentinum, congre-  
gationis Oratorii in Urbe fundato-  
rem, autorem & excitatorem dedit.  
*Cæsari Baronio Sorano, Presbytero ejus-*  
*dem Congregationis primum, dein Cardi-*  
*nali & Bibliothecæ Vaticanae Prefecto,* ut  
Tredecim seculorum historiam con-  
futatum iret. Atque hic quidem,  
cum per triginta annos, septies om-  
nem antiquitatis sacræ thesaurum,  
exercitationibus & sermonibus ad  
Congregationem Oratorii habitis,  
evolvisset, quod testatur *in pæfat. ad*  
*P. R. Sixtum V.* tandem aggressus est  
Centurias, In Ep. ad Lectorem id pro-  
dit,

dit, cum ait: Triginta circiter annos in  
HIS pro viribus, Dei gratia favente, in-  
sudavimus. Pene enim imberbes eramus,  
cum hac exordiremur. Nunc undiq̄, canis  
adpersi hac scribimus; semperq̄, in urbe  
versati, diversas, quæ in ea sunt, Biblio-  
thecas nobiles, Vaticanam præcipuè,  
quam ditissimum rerum antiquarum pe-  
nu promptuariumq̄, dicere convevimus, per-  
lustravimus, ac cum eruditis viris, quo-  
rum magna copia hic esse solet, omnia con-  
tulimus, modo consulentes, modo differen-  
tes. Unde magna facta est rebus nostris ac-  
cessio. Pergit idem: Quæ in annalibus  
contineantur, summatim perstringamus.  
Laudatos novimus historicos illos, qui unâ  
cum rebus gestis populi illius, cujus scripse-  
runt historias, originem retulerunt, mo-  
res, leges, magistratus, ac cætera, quæ  
ad ejus statum noverint pertinere, expli-  
carunt. Quo sanè exemplo adducti nos o-  
pera pretium facturi existimamus, si unâ  
cum nascentis Ecclesie primordiis, ipsa  
Christiana religionis fundamenta primi-  
tus jacta, divinas leges, pias functiones,  
SACRA CONCILIA, editos cano-  
nes, ut instituti ratio ostulavit, sigilla-  
tim



zim recensuerimus. Pergit porro Anna-  
lista animi sui recessus exponere, &  
quorum contendat, patefacere.  
Ad haec, inquit, Catholica Ecclesiae visibi-  
lem Monarchiam à Christo Domino institu-  
tam super Petrum fundatam, ac per ejus  
legitimos verosque successores Romanos ni-  
mirum Pontifices, inviolatè conservatam,  
religiosè custoditam, neque unquam inter-  
ruptam, vel intermissam, sed perpetuò  
continuatam, semperque hujus mystici corpo-  
ris Christi, quod est Ecclesia, unum caput  
visibile, cui pareant membra caetera, esse  
cognitum & observatum, per singula tem-  
pora demonstrabimus. In hoc conatu,  
cum Synodologiam sibi vehementer  
adversari cernit, miris ambagibus  
hoc agit, ut in suas eam partes trahat.  
Sed & passim in dogmatum suorum  
caeterorum, quibus à regula divini  
verbi Papatus deflexit, patrocinium  
eam rapit, ast infeliciter. Unde ab eo  
saepius dissentiant ex illo cœtu alii.  
Videre id licet in Henrico Spondano  
Gallo, qui dum Epitomen Annalium  
Ecclesiasticorum pollicetur, non ra-  
rò censura adversaria eosdem per-  
strin-

stringit. Nec opus est, ut Isaaci Ca-  
fauboni, in *Pref. ad Exercitat.* aut Mar-  
ci Anton. de *Dominis lib. 4. Reip. Ec-  
cles. cap. 10. n. 1. & lib. 7. c. 19. n. 97.* ju-  
diciū audiamus; breviter & rotun-  
dè Johann. Horatius Scoglius sub fi-  
nem hist. *Baronium*, inquit, *ocu-  
latissimum antiquitatis indagatorem in  
hoc nostro historia decursu ducem ac an-  
tesignanum elegimus: sed non adeo ejus e-  
lucubrationibus addicti, ut non alia plu-  
rima, ab aliis etiam auctorebus mutuare-  
mur.* Sicigitur in antiquitate Eccle-  
siastica Synodologia Pontificiis etiam  
curæ fuit. Reformatis, (quæ nomine  
Zvinglii & Calvini a seclæ appella-  
ri volunt.) & hujus, & in universum  
antiquitatis Ecclesiasticæ eruendæ  
industriam testari, præcipuè visum  
fuit esse necessarium. Hinc, ut anti-  
quiora prætermittam, cum C. Baro-  
nius suum orbi ostendisset molimen,  
Jacobus Magnæ Britanniæ Rex Isaa-  
cum Calaubonum opposuit, qui  
contra niteretur, & flagitia Cardinalis  
detegeret. Sed is ultra vitam Chri-  
sti in terris non est progressus, & re-



mulum habuit Richardum Montacutum *Nordvicensem Episcopum*, qui per *Analec̃ta* multa contra Casaubonum sparsit. Edidit etiam *Origines Ecclesiasticas*. Sed uterq; ad Synodologiam nihil contulit. Surrogarunt Casaubono defuncto, cum nec Montacutus ultra in Britannia progredere-  
tur, nec alius quispiam inde, præter Jac. Usserium *Ep. Armatanum*, qui antiquitates Britannicas, Janum Seldenum, qui Eutychiej Patriarchæ Alexandri-  
niali quæ illustravit, & Henr. Spelmanum, qui Concilia Britannica collegit & discrevit, operam suam ultra polliceretur, GALLI aliquot Doctos viros, in bello contra Baro-  
nium, Synodologiæ & in universum antiquitatis Ecclesiasticæ corruptorem, substituros. Jacobus Capellus pro Casaubono vindicias contra *Jul. Cesare* Bulengerum, *Andream Eudemon*, *Johannem Cretensem*, & alios edidit. David Blondellus in Pseudo Isidoro Epistolas Episcopis Romanis supposititias detexit. In Apologia pro sententia Hieronymi de differen-  
tia in-

tia inter Episcopum & presbyterum,  
& in dissertatione de formula veteri,  
*regnante Christo*, ut & de primatu Papa  
contra Baronium & Perronium Car-  
dinales confutare idem aggressus est,  
quicquid ad Monarchiam Ecclesia-  
sticam firmandum ex Patribus & Sy-  
nodis haustum est, & spem fecit, de  
vindican- da contra Baronium tota  
antiquitate sacra. *Jacobus Gothofre-  
dus Jcius in præfatione ad Philostorgii Hi-  
stor. Eccles.* aperte profiteretur, se con-  
stitutum esse, qui Baronium confel-  
leret. Unde & è *Synodologia Nice-  
num* potissimum Concilium in disser-  
tationibus suis ad Philostorgium il-  
lustrare voluit. Promisit & *Codicem  
Theodosianum*, eum in finem adnota-  
tionibus suis illustratum, & publi-  
candum, ut magno confutationis  
Baronianæ operi istum præstrueret.  
*Belgæ in Josephum Scaligerum* conje-  
ctos habuerunt oculos, & sperarunt,  
post vindicatam Chronologiam, e-  
um quomq; reliquam antiquitatem  
Ecclesiasticam, & cum primis Synodo-  
logiam perpurgaturum, in qua mul-  
ta qui



ta quidem in Animadversionibus ad  
Eusebium & passim alibi animadver-  
tit, sed ad summum non pervenit.  
*Cl. Salmasius* successor ejus sparsim e-  
tiam aliqua, cum primis in historia  
Romana & tractatu de primatu Papæ  
ad finem nondum perducto, dispu-  
tavit in ea. *Gerh. Job. Vossius* Synodo-  
logiam, quatenus Pelagianismum  
tangit, in *hist. Pelag. certam.* illustra-  
vit, & deinde universam historiam  
Eccles. Amstelodami pertractavit,  
in qua ad *Synodologiam* procul dubio  
plura contulit. Num aliquando lu-  
cem ista perspectiva sint, brevi com-  
periemus. Ex Pontificiis in *Hispania*,  
ante *Baronium*, summam concilio-  
rum elaboravit *Barthol. Caranza*. Post  
*Baronium* *Gartias Lojasa* aliquot Hi-  
spanica concilia illustravit. In Gallia  
*Franciscus à Longo Coriolanus* summam o-  
mnium Conciliorum edidit paulo fusi-  
orem. *Jacobus Sirmundus* ex Societate  
Lojolæ Concilia Gallicana tomis ali-  
quot suis notis illustravit. Tandem  
*Armandus Plessæus Card. Richelius* cura-  
vit, ut supra triginta Tomis, charta  
magna

gha nitido & caractere, undiq; conge-  
sta ederentur omnia Concilia. Quas  
sivi, cum nec Sirmundi labores, nec  
curas Richelii tū vidissem, ex *Johanne*  
*Daleo* Pastore Charantonienſi juxta  
Lutetias, cujus industria in Gallica-  
nis rebus explorandis usus sum, quid  
de utroq; cenſeret. Scripſit lit. A.  
1650. 6. Auguſti ad me datis; *Concilie*  
*Eccleſie Gallicane veteris hic apud nos &*  
*Jac. Sirmundo edita præclara ſunt, &*  
*multis eruditionis accuratiſſima notis inſi-*  
*gnia. Quæ vero univerſa totius Eccleſie*  
*complectitur editio, illa præter molem &*  
*typorum elegantiam, & characterum*  
*granditatem nihil habet præ cateris præ-*  
*cipui. Sed & Gabriel Albaſpineus Episc.*  
*Aurelianenſis in obſerv. ad Optatum*  
*Milevitanum, quem notationibus*  
*illuſtravit, aliquot Conciliis lucem*  
*inferre conatus eſt. In Germania,*  
*ante Card. Richelium, Concilia colo-*  
*legit, poſt Petrum Crabbe Machlini-*  
*enſem & Laurentium Surium Carthu-*  
*fianum, atq; in ſuper notis illuſtravit*  
*ediditq; Colonia Severinus Binius*  
*Canon, Colonienſis, qui cum notas*  
*plerasq;*



plerasq; ex Baronii Annalibus hausisset, non potuit succensere Coriolano, cum & is in compendium notas Binianas redigeret. De pluribus nunc silere cogor, quæ alibi, ubi libris meis potitus fuero, annotari queunt. Interim in nostra Ecclesia seculum XIV. & XV. &c. Centuriis anterioribus non fuit adjectum, neq; adeo pertexta *Synodologia*; nisi quod Epitomen Historiæ Ecclesiasticæ, in qua diligentem Synodorum habuit rationem, confecit D. Lucas Oslander Theol. Wurtemberg. & D. Salomon Gesnerus Th. Witteb. tractatus sui de Conciliis partem alteram voluit esse *Synodologiam*. Desunt Patroni, qui Theologos in apparatu ad laborem maximum & sumtibus juvent. Serenissimi Megapolitani Duces, qui, ut supra indicatum est, clementissime olim illustrandæ antiquitatis studium foverunt (quorum vestigia generosissimo conatu calcavit Ser. Cellissimusque Princeps ac Dn. Dn. GUSTAVUS ADOLPHUS, Dux Megap. &c. Dn. noster clementissimus, qui, dum Parisi-

is vi.

is vixit, Conciliorum Tomos è Ty-  
pographia Regia vulgatos, quos su-  
pra laudavi, emit, magnisq; sumti-  
bus in has terras attulit, ut Ecclesiæ  
emolumento & Bibliothecæ suæ or-  
namento essent, cum raro in Ger-  
mania ista editio compareret hacten-  
us) & inprimis *Synodologiam* tam  
amplexi sunt cupide, ut peculiari A-  
gend. Eccl. cap. de *Synodis constitutio*  
*annuos in territoriis suis sub singulis Su-*  
*perintendentibus iusserint à Pastoribus fieri*  
*Synodos p. 146. & seqq.*

## APPENDIX

De Conciliis inter alios vide Luth. T. 7.  
J. G. Gesnerum, & Sarcerium in libro de me-  
diis Relig: Evang. propag. Qui ergo Ecclesiæ  
Evang. bene cupit, (quod singulorum ve-  
rorum Christianorum est) Deum ardentiss:  
invocet, ut corda Elect. Principum & Stat:  
Imperij Evang. flectat, ut *Synodum generalem*  
*Theologorum puræ doctrinæ Evangelicæ, pietatē*  
*& in veritate divina paci addictorum in Germa-*  
*nia indicent: proptereaq; apud illos & coram*  
*Theologos, ut debito modo talem, simulq;*  
*apud Magistratum urbium Evangel: præcipuè*  
*vicinarum marit. vulgò Anseat: h. l. juxta pe-*  
*culiare*



culiare Antecess. laudabile Exemplum, Syno-  
dum urgeant, non respectu doctrinæ (illa enim  
est pura) sed vitæ, sive Christianismi (qui in o-  
mnibus ordinibus corruptissimus est) Reformationis,  
de qua in Synodo agendû, pro posse & nosse,  
ore & calamo promoveat Hoc inter alios Deû  
amantes expetunt, plur. Rev. Ministeriales Ham-  
burg. Lub: Luneb: Vide quoq; Sauberti Seelen.  
Arney / Tarnovij Orat. de Novo Evang. Am-  
mersbachij Evang: Bus. Posaune Ao 1663.  
typis impressa. Deus exaudiat nos pro-  
pter nominis sui gloriam

Amen:









F. Reppien.







gnantido character  
sta ederentur omnia  
fivi, cum nec Sirmu  
curas Richelii tū vid  
*Daleo* Pastore Chara  
Lutetias, cujus indu  
nis rebus explorand  
de utroq; censeret.  
1650. 6. Augusti ad n  
*Ecclesia Gallicana veter*  
*Jac. Sirmundo edita*  
*multis eruditionis accu*  
*gnia. Quae vero unive*  
*complectitur editio, ill*  
*typorum elegantiam,*  
*granditatem nihil hab*  
*cipui. Sed & Gabriel*  
*Aurelianensis in obser*  
Milevitanum, qver  
illustravit, aliquot  
inferre conatus est.  
ante Card. Richelieu  
legit, post Petrum C  
ensem & Laurentium  
fianum, atq; insuper  
ediditq; Coloniae Se  
Canon, Colonienfis

nge  
Quas  
nec  
anne  
uxta  
lica.  
quid  
t. A.  
ncilia  
nos &  
, &  
insi-  
clesie  
m &  
erunt  
pra-  
Episc.  
atum  
ibus  
cem  
ania,  
colo  
alini-  
thu-  
ravit  
inius  
otas  
rasq;

